



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

8. Columna Ignis & Nubis: Caritatis & Fidei, An & Quomodo distinguantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

admittendum est. Sed quemadmodum *Columna Ignis* fuit opus Omnipotentis, in quo tamen ipse quodammodo sedem suam collocarat: dicitur enim Dominus præcessisse populum in *Columna ignis*, Exodi XIII. haud secus Deus Caritatem, tanquam *Columnam* in animo stabilit, in eaque peculiari quadam ratione comoratur. Unde Paulus Apostolus Rom. v. *Caritas DEI*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ubi de Caritate DEI est sermo, non illa, qua nos diligit Deus, sed qua nos Deum diligimus: & vocatur Dei, tanquam DEI opus eximium, in quo Deus ipse quodammodo residet.

ARTICVLVS VIII.

COLUMNA IGNIS ET NUBIS

*Caritatis & Fidei, An & Quomodo distinguantur.*

ILLUD autem magna contentione à sacris quibusdam Divinarum litterarum Interpretibus agitur, An una eademque numero re ipsa fuerit *Columna Nubis*, atque *Columna Ignis*, de die lucens Nubis instar, & diurnum iter Hebraeis monstrans, eosque dirigens; eadem verò per noctem splendens, ceu *Ignis*, nocturnas tenebras discutens, atque illuminans Israëlitas. Et quidem existimat Hugo Victorinus, fuisse unam & eandem. Idem adfirmat Episcopus Abulensis, ita tamen ut diversimode fuerit affecta diverso usu, ac munere prædita. Quod videtur colligi ex cap. ix. libri Numer. ubi dicitur, *Nubem, sive Columnam Nubis, non solum die, sed etiam*

Tertia Pars

Et

noctu

(\*) Hugo cap. 13. Exo. (b) Abul. q. 114. in 13. Exo. Lyran. Exo. 13. Gaict. Exo. 14. Perer, disput. 6. Exo. 13. Torniel, An. 2544. num. 24.



noctu manere solitum supra Tabernaculum Domini  
atque *Columna Ignis* erat, quæ per noctem apparebat He-  
bræis & castra illorum illuminabat. Probabilissimum  
est, si adfirmeretur, *Columnam* illam Nubis, noctu novam  
quandam speciem, seu formam accepisse, quæ si solite-  
riè esset, *Columnam Ignis* constitueret.

Est quidpiam haud multum dissimile in duabus no-  
stris Columnis, *Fide* ac *Caritate*. Fidei Columna distin-  
cta est à Columna Caritatis: tamen Caritas velut splen-  
dor quidam, dum accedit ad fidem, tribuit illi peculi-  
arem quandam speciem, unde dicitur *Fides Formata*, quæ  
fit *Columna Ignis*, cum antea esset *Infernis* & obscura, ut  
*Columna* aliqua *Nubis*. Non quod Caritas non distingui-  
tur à fide, sed quod tum conjunguntur, in unum aliquod  
velut compositum coalescant.

Spectatur Columna Ignis & Columna Nubis pulchrè scilicet  
in symbolis heroicis Silvestri Petra-Sancta libro IX. cum hoc le-  
mate, ESTE DUCES.

---

## ARTICULVS IX.

### BASIS COLUMNÆ CARITATIS

#### *Bonitas Dei.*

**C**VI. insistit Caritatis Columna? Bonitati: an-  
imus enim quempiam, quia est bonus: Deum  
quia bonus in se est, proximum quia de boni-  
tate divinâ participat. Ob duplicem causam, scilicet  
quit Bernardus, *Tract de dilig. DEO. DEUM dixerim propter*  
*seipsum diligendum, sive quia nihil justius, sive quia nihil*  
*fructuosius potest. Meretur amari DEUS propter seipsum, quia*  
*in se*